UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

L.ANNAEI || SENECAE || Tragoediae.|| EDITAE EMENDA-||TIORES STVDIO || Georgii Fabricii || Chemnicensis.|| (LVCTATII GRAM-||MATICI ANTIQVI,IN || SENECAE TRAGOEDIAS || Periochae.||)

Seneca, Lucius Annaeus <Philosophus>

Leipzig, [1566]

Periochæ

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-694

Visual Library

LVCTATII GRAMMATICI ANTIQVI, IN SENECAE TRAGOEDIAS Periochæ.

HERCVLES FVRENS.

HErcules rex Thebarum, vir iustus apud priscos habitus est, qui derelicto Creonte socero suo, qui fuit pater Megaræ, & duobus filijs infantibus, & Amphitryone patre & Alcmena matre, ad regni gubernaculum, assumptisq; secum Theseo alijsq; proceribus, ad externas nationes profectus est, vt quos ibi sæuos tyrannos, & quæ monstra inuenisset, interficeret, & pestes à populis remoueret. In qua quidem profectione quondam ad inferos fabulosè descendisse fingitur, & inde deduxisse Cerberum legitur. Cùm per longi æui spacia, mundum pœnè totum perambulans, moras traxisset, & iam mortuus putaretur, Lycus Thebanus è vili genere ortus, cum plærisq; habita conspiratione, seditiosè cæso Creonte & duobus eius filijs, cum multa cæde regnum occupauit, & diadema suo capiti imposuit, Megaram vxorem Herculis ad tædas iugales sollicitat, cui vim parabat colluctanti & constanter recusanti. Re-

pente rumor de reuersione Herculis cum Theseo auditus est, & magno triumpho ab effuso vndique populo susceptus, cumque Megaram & Amphitryonem luctuosos inspiceret, causam edoctus, Lycum cum prole sua & fautoribus interficit. Iuno summo dolore affecta, quòd Hercules illæsus ab inferis redierat, & inde eduxerat Cerberum, timens ne maiora aggrederetur scilicet cœlum, primùm sibi dolores immittit, deinde in furorem versa, eam ingreditur viam, qua ipsum Herculem in furorem ducat, vt furore captus moriatur. Excitat infernalem Furiam, vt faces accendat, quibus ipsum in furorem vertit, vt tela in filios & vxores iaciat.

THYESTES.

ATREVS & Thyestes, è Pelope & Hippodamia, fratres fuerunt. Thyestes autem adulterium commisit cum vxore Atrei, propter quod Atreus in odium Thyestis vehementer exarsit, nec contentus quòd occupato regno fratrem egisset in exilium, sed volens in eum crudelius desæuire, finxit se velle ei reconciliari, & ab eo filijs in obsides acceptis, partitus cum eo regnum est, quem postea vocauit ad conuiuium, & inter-

interfectis filijs obsidibus, dedit eos patri vescendos, & eorum cruorem vino commiscuit, quod dedit ei bibere. Super quo scelere sol indignatus à Mycenis fugit. Conuiuio finito, apportauit patri capita filiorum, nuncians ei quòd residuam partem comederit.

THEBAIS.

OEDIPVS qui patrem occiderat, & matrem duxerat in vxorem, & ob scelera seipsum excœcauerat (vt in alia habetur tragœdia) duos filios genuit ex matre, vxore sua, Eteoclen & Polynicen, & filiam Antigonem. Filij adulti patrem expulerunt, & inter se sic regnum diuiserunt, vt vnus vno, alius alio anno regnaret, illo exulante qui non regnaret. Initio regnauit Eteocles, & vltra tempus pactum tenuit regnum, frater exul vxorem duxit, filiam regis Adrasti, à quo accepto auxilio fratrem expugnare voluit. Ceciderunt ambo in bello mutuis vulneribus, vt in Statio habetur. Seneca autem non describit finem belli, sed solùm proœmia.

HIPPOLYTVS.

HIPPOLYTVS filius Thesei, ex regina

Amazonum Antiope, quem Phædra nouerca, vxor Theſei adamauit, qui dum recuſaret eam cognoſcere, ab ea falſi criminis delatus, in exilium mittitur. In fuga territus à marino monſtro, præcipitatus inter ſaxa, expirauit. Phœdra ſeipſam dolore interfecit.

OEDIPVS.

CVM Laius rex Thebarum haberet filium ex vxore Iocaſta, à quo, ex oraculo Phœbi, deberet interfici, & matri propriæ ſubiacere, eum in monte Cytherone expoſuit, plantis ignito ferro perforatis. Quem quidam paſtor inueniens, ſeni alendum dedit Corinthio, qui puerum detulit ad reginam, quæ eum adoptauit. Sic educatus in domo regis Polybi, putauit ſe filium eius & reginæ Meropis. Adultus autem audito quòd occiſurus patrem eſſet, & ducturus matrem in vxorem, ſponte iuit in exilium, in quo verum patrem caſu quodam occidit, poſtea temporis progreſſu reginam Thebarum viduam, duxit vxorem, neſciens quòd mater eius eſſet. Cùm autem peſtis tam beſtias quàm homines regni ſui vaſtaret, conſulit Creontem fratrem Iocaſtæ coniugis ſuæ, qui dixit ex oraculo Phœbi, eſſe regnum purgandum illius exilio, qui

regem

regem Laium interfeciſſet. Cùm autem neſciret ſe illum eſſe, adijt vatem Tireſiam, qui ex reuelatione deorum infernalium, pandit Oedipum eſſe, qui regem interfecerit Laium, & matrem duxerit in vxorem.

TROADES.

TROIA bello decennali euerſa, inde cùm Græci vellent ad ſua remeare, vento contrario claſsis eorum detinetur. Noctu appâret Achilles Talthybio, arguens Græcos, quòd redire vellent, inferijs ſibi debitis nondum celebratis, præcepitq; vt Polyxena Priami & Hecubæ filia occideretur ad ſuum tumulum. Quam cùm Pyrrhus Achillis filius ab Agamèmnone peteret, rex ſe difficilem exhibuit, eo quòd optauerat eam ſibi concubinam. Tandem vates Calchas ſuper detentione Graiæ claſsis conſultus, dixit Polyxenam Achilli immolandam, & Aſtyanacten paruum Hectoris & Andromachæ filium occidendum, quem à matre abſconditum reddi compulit Vlyſſes, & eum de altiſsima turri præcipitauit. Pyrrhus verò Polyxenã de gremio matris ereptam ad patris tumulum occîdit.

MEDEA.

IASON ſuadente patruo ſuo Pelia, naui

parata & collecta nobili societate adijt Colchos, pro aureo vellere acquirendo, quem Medea filia regis Colchorum adamauit: cuius auxilio consilioq́, defunctis multis periculis, vellus obtinuit. Iasonem ergo Medea, patria & parentibus relictis, secuta est, & eidem nupta fuit. Creo rex Corinthiorum filiam suam traditurus Iasoni, Medeam ob maleficia iussit occidi, sed interueniente Iasone mortis supplicium est commutatum in exilium. Medea obtentis exilij inducijs, ad spacium vnius diei, Creusæ filiæ Creontis iam Iasoni desponsatæ, pallam quandam veneno tinctam, carminibusq́ consecratam dedit, quam dum tractaret Creusa, accensus de ea ignis filiam cum patre & palla consumpsit, nec Medea hoc contenta, proprios filios, quos genuerat Iasoni, in eius conspectu interfecit, & deinde aufugit per aërem.

AGAMEMNON.

ATREVS Thyestis frater, genuit Agamemnonem & Menelaum, qui vxores duxerunt duas sorores filias Tyndarei & Ledæ, Clytemnæstram & Helenam. E' Clytemnæstra Agamemnon genuit Orestem & Electram, sed cùm Agamemnon profectus esset dux Græcorum ad bellum Troianum,

Clytem-

Clytemnæstra adamauit Aegysthum, quem Thyestes ex Pelopeia filia sua genuit, Agamemnon etiam alias mulieres adamauit, & bello finito Cassandram filiam regis Priami coniugem accepit. Vndè Clytemnæstra indignata cum Aegysiho mortem Agamemnoni machinata est: quem, dum vestes exueret, Aegysthus vocatus in societatem cædis, gladio perfodit, cumq; nondum mortuus, vindictam anhelaret, Clytemnæstra securi arrepta, caput eius diuidit, volebat etiam filium Orestem occidere, sed Electra ipsum subtraxit, & cuidam Strophio custodiendum tradidit. Clytemnæstra Electram carcere mancipauit, & Cassandram iussit interfici.

OCTAVIA.

CLAVDIVS imperator ex vxore Messalina, quam postea occîdit, filium habuit, Britanicum dictum, & filiam nomine Octauiam. Postea cùm Agrippinam fratris sui vxorem sibi nuptijs copulasset, Octauiam Neroni priuigno suo dedit vxorem, quem post se suggerente Agrippina, regnare voluit, Britanicum filium imperij faciens exortem. Nero post Claudium imperans, Octauiam repudiauit, & vxorem aliam duxit Poppæam. Suscitato populi tumultu,

propter repudium Octauiæ, Nero in populum desæuijt, Octauiam relegauit, & in exilio tandem præcepit interfici.

HERCVLES OETEVS.

EVRYTVS rex Oechaliæ filiam habuit Iolen, quam Hercules adamauit, eamq; à patre petijt, quo denegante terras eius inuasit, patrem occîdit, Iolen abduxit, & ardentius quàm vxorem Deianeiram dilexit: quod cùm audijsset Deianeira Herculi pallam quandam misit, tinctam sanguine Centauri Nessi, quem Hercules vulnerauerat sagittis toxicatis. Nessus autem cùm pallam sanguine imbuisset, Deianeiræ dixit, si vnquam ab ea amor Herculis auerteretur, vt ei pallam mitteret, & indutus eam ad eius amorem reuerteretur. Hercules ab vxore missam indutus, statim peste veneni corripitur, ita vt caro eius ab ossibus euelleretur, palla cuti & ossibus adhærente: vndè dolore nimio agitatus, Lycam, qui pallam apportauerat, interemit. Hercules Philoctetæ armigero suo arcum & sagittas tradens, sibi ipse in Oeta silua pyram parauit, in quam assumpta pelle leonis & claua, morte implorata, seipsum imposuit: vbi consumpto, quod in eo mortale fuerat, in cœlum translatus est.

L. ANN.